



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus VII. vtrum vna persona diuina possit assumere duas naturas
humanas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

hic homo supponere, non tamen inter personas inter se, quia nunquam vna pro alia supponit.

ARTICVLVS VII.

an vna persona diuina possit assumere duas naturas humanas.

1. 1. q. 2. art. 5.



De primo sic proceditur. Videtur, quod vna persona diuina non possit assumere duas naturas humanas. Natura enim assumpta in mysterio incarnationis non habet aliud suppositum preter suppositum persone diuina: vt ex

Art. prae. q. 1. art. 5. q. 2. art. 2. q. 3.

supradictis patet. Si ergo posset esse vna persona diuina assumens duas humanas naturas, esset vnum suppositum duarum naturarum eiusdem speciei, quod videtur implicare contradictionem: non enim natura vnus speciei multiplicatur, nisi secundum distinctionem suppositorum.

1. 1. q. 2. art. 5. q. 2. art. 2. q. 3.

2. Præterea hæc suppositio facta, non posset dici, quod persona diuina incarnata, esset vnus homo: quia non haberet vnam naturam humanam. Similiter etiam non posset dici, quod esset plures: quia plures homines sunt supposito distincti, & ibi esset tantum vnum suppositum. Ergo prædicta positio est omnino impossibilis.

3. Præterea, in incarnationis mysterio tota natura diuina est vnica toti naturæ assumptæ, id est, cuiuslibet parti eius: est enim Christus perfectus Deus, & perfectus homo, totus Deus, & totus homo: vt Damascenus dicit in 3. lib. Sed dua humana natura non posset totaliter sibi inueniri: quia oportet quod anima vnus esset vnica corpori alterius, & quod etiam duo corpora essent simul, quod confusionem induceret naturarum. Non ergo est possibile, quod vna persona diuina duas humanas naturas assumat.

Sed contra est quod quicquid potest Pater, potest Filius: Sed Pater post incarnationem Filij potest assumere naturam humanam aliam numero ab ea, quam Filius assumpsit: in nullo enim per incarnationem Filij est diminuta potentia Patris vel Filij. Ergo videtur quod Filius post incarnationem possit aliam humanam naturam assumere præter eam, quam assumpsit.

Respondendo dicendum, quod illud quod potest in vnum & non in amplius, habet potentiam limitatam ad vnum. Potentia autem diuine persone est infinita: nec potest limitari ad aliquid creatum. Vnde non est dicendum, quod persona diuina ita assumpsit vnam naturam humanam, quod non potuerit assumere aliam. Videretur enim ex hoc sequi, quod personalitas diuina natura esset ita comprehensa per vnam naturam humanam, quod ad eius personalitatem alia assumi non posset, quod est impossibile: non enim increatum a creato comprehenditur potest. Patet ergo quod siue consideremus personam diuinam secundum virtutem, quæ est principium vnionis, siue secundum suam personalitatem, quæ est terminus vnionis, oportet dicere quod persona diuina præter naturam humanam, quam assumpsit, possit aliam numero naturam humanam assumere.

Art. prae. q. 1. art. 5. q. 2. art. 2. q. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod natura creata perficitur in suaratione per formam, quæ multiplicatur secundum diuisionem materie. Et ideo si compositio materie & forma constituat nouum suppositum, consequens est quod natura multiplicetur secundum multiplicationem suppositorum: sed in mysterio incarnationis vnio forme & materie, id est anime & corporis, non constituit nouum suppositum, vt supra dictum est, & ideo posset esse multitudo secundum numerum ex parte nature propter diuisionem materie absque distinctione suppositorum.

Ad secundum dicendum, quod posset videri dicendum, quod prædicta positio facta sequeretur, quod essent duo ho-

mines propter duas naturas absque hoc, quod essent ibi duo supposita: sicut è conuerso tres persone dicerentur vnus homo propter vnam naturam humanam assumptam, vt supra dictum est. Sed hoc non videtur esse verum: quia nominibus est vtendum secundum quod sunt ad magnificandum imposita: quod quidem ex consideratione eorum, quæ apud nos sunt. Et ideo oportet circa modum significandi & significandi considerare ea, quæ apud nos sunt: in quibus nunquam nomen ab aliqua forma impositum plur. alter dicitur, nisi propter pluralitatem suppositorum. Homo enim, qui est duobus vestimentis indutus, non dicitur duo vestiti, sed vnus vestitus duobus vestimentis: & qui habet duas qualitates, dicitur singulariter aliquis secundum duas qualitates. Natura autem assumpta quantum ad aliquid, se habet per modum induimenti, licet non sit similitudo, quantum ad omnia, vt supra dictum est: Et ideo si persona diuina assumeret duas naturas humanas, propter vnitatem suppositi, diceretur vnus homo, habens duas naturas humanas. Contingit autem quod plures homines dicuntur vnus populus, propter hoc, quod conueniunt in aliquo vno: non autem propter vnitatem suppositi. Et similiter si dua persona diuina assumerent vnam numero humanam naturam, dicerentur vnus homo (vt supra dictum est) non vnitare suppositi, sed in quantum conueniunt in aliquo vno.

Art. prae. q. 1. art. 5. q. 2. art. 2. q. 3.

Quest. 2. art. 6. ad 1.

Quest. 2. art. 6. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod diuina & humana natura non eodem ordine se habent ad vnam personam diuinam, sed per prius comparatur ad ipsam diuinam naturam, vt potest quæ est vnum cum ea ab æterno: Sed natura humana comparatur ad personam diuinam per posterius vt potest assumpta ex tempore à diuina persona: non quidem ad hoc quod natura sit ipsa persona, sed quod persona Dei in humana natura subsistat: filius enim Dei sui deitas, sed non est sua humanitas. Et ideo ad hoc quod natura humana assumatur à diuina persona, requiritur quod diuina natura vnione personali vnatur toti nature assumptæ, id est secundum omnes partes eius. Sed duarum naturarum assumptarum esset vniformis habitudo ad personam diuinam, nec vna assumeret aliam. Vnde non oporteret quod vna earum totaliter alteri vniretur, id est omnes partes vnus omnibus partibus alterius.

COMMENTARIVS.

Titulus est clarus, & quamuis in litera limite tur ad humanas naturas, tam è sensus ad quascunque naturas assumptibiles extenditur, siue sint eiusdem seu diuersæ speciei, nam eadem est ratio de omnibus, & sensus est, an possint ita assumi, vt simul maneat vnitas.

Titulus est clarus.

Afirmat igitur D. Thom. posse vnam diuinam personam duas naturas assumere, atque cum non limite tur numero, intelligit planè in quouis numero finito hoc posse fieri, etiam si in infinitum augeatur, quod totum probat illius ratio, scilicet quia persona diuina tam vt principium efficiens, quam vt terminus huius vnionis est simpliciter infinita, & ad hunc effectum sufficientissima: supponit verò D. Tho. vt per se notum, ex parte naturarum repugnantiã esse non posse: quia licet secundum naturalem capacitatem se se excludant à consortio eiusdem persone, & connaturalis, tamen secundum capacitatem obedientialem non se excluderent à consortio eiusdem persone infinite, & superioris ordinis: si enim nunquam natura diuina, & humana, quæ multò magis inter se distant, quam omnes creatæ nature, non se excludunt à communionem eiusdem diuine personalitatis, multò minus se excluderent nature creatæ inter se. Et hoc docuit etiam in solutione ad primũ quæ ex dictis sufficienter exposita est.

c. 11

In solutione ad secundum definit, in eo casu vnam personam habentem plures humanitates vnum hominem fore, quod solum ex vsu, & significatione nominum colligit, de qua re inferius disputabimus.

Solutio ad tertium nonnulla continet notatione digna, primùm enim querit D. Thom. an in eo casu naturæ assumptæ ita essent inter se vnitæ, vti nunc humana diuinaq; & respõdet multò esse maiorem vnionem inter naturam diuinam, & quamcunque assumptam, quam inter assumptas inter se, propter maiorem vnitatẽ diuine naturæ cum Verbi personalitate, quæ doctrina sufficienter explicata est superiori disputatione, sectione secunda, conclusione secunda. Querit secundò, an in eo casu posset dici vna humanitas prius assumpta aliam assumere, sicut nunc dicitur diuina natura assumere humanitatem: Et respondet optimè negando, tum quia vna humanitas non esset principium assumendi aliam, tum quia non esset terminus assumptionis eius, nunc enim diuina natura propter summam vnitatem, quam habet cum Verbo dicitur ad se sumere, quia sumit ad personam Verbi, quæ est idem quod ipsa: at verò humanitas, licet esset vnita Verbo, non tamen est ipsum Verbum, & idè quod assumitur ad Verbum ipsum, non potest dici assumi ad humanitatem, præsertim cum dictum sit, vnam naturam assumptam non vniri alteri, sicut diuinitatem ipsam.

Addit tertiam quæstiunculam Caietan. an esset tunc communicatio idiomatum inter naturas assumptas, verbi gratia inter angelum & hominem, & respondet negando: itaque si ille homo moreretur, non esset verum dicere angelum mori, sicut nunc est verum dicere Deum mori. Sed hæc sententia mihi videtur falsa, loquendo de propria communicatione idiomatum inter naturas in concreto significatas, quia hæc communicatio non fundatur nunc (vt ipse putat) in hoc, quòd diuinitas & persona verbi sunt omnino idem, sed in hoc, quòd vna & eadem persona sub vtraq; natura subsistit, & pro ea supponunt nomina, naturam ipsam in concreto significantes, vt videre etiam est inter duas formas accidentales existentes in eodem supposito, & expositorio syllogismo conuincitur potest, rectè enim sequitur, hic homo patitur, ergo Verbum patitur: rursus sed Verbum est hic Angelus (suppono enim simul assumpsisse naturam angelicam) ergo hic angelus patitur. Medina negat vltimam consequentiam, quia significatur, inquit, in illo consequenti hunc angelum pati in propria natura: sed cõtra, quia subiecta præsertim in concreto significata, pro materiali accipi solent; aliàs hæc esset falsa in illo casu, hic angelus creat, vel hic homo est genitus ab æterno, & idè merito D. Thom. admittit hanc communicationem idiomatum in eo casu, in 3. d. 1. q. 2. art. 5. quem sequuntur Gabrie. ibi. q. 2. ar. 3. dub. 4. Marfil. in 3. q. 2. art. 3. dub. 3.

Dixi, loquendo de propria communicatione in concreto, nam aliqua prædicationes, quæ interdum sunt in abstracto respectu diuinæ naturæ, propter vnitatem eius cum sua persona, non possent extendi ad naturas assumptas, vt verbi gratia, hic homo dicitur esse sua diuinitas, non tamen posset dici esse sua Angelica natura, vel quid simile.

An verò sicut dicitur natura diuina incarnata, ita etiam posset dici natura angelica, vel è cõtrario natura humana angelizata (si ita loqui licet) cõtrouertipotesit. Dicendum verò est, non posse dici naturam angelicam incarnatam, eodem modo quo diuinitas, quia vt dictum est, non esset eodem modo vnita carni, posset tamen alio modo dici, quatenus vnita esset carni in eodem supposito.

Communi-
catio idio-
matu effe-
ctioe inter na-
tas assum-
ptas.

D. Thom.
Gabr.
Marfil.

Verum fuerit magis conueniens, quod persona Filij assumeret humanam naturam, quam alia persona diuina.



Octauum sic proceditur. Videtur quòd non fuerit magis conueniens Filium Dei incarnari, quam Patrem, vel Spiritum sanctum. Per mysterium enim incarnationis, homines ad veram Dei cognitionem sunt perducti: secundum illud Ioan. 18. In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibea iudicanti. Sed ex hoc, quòd persona Filij Dei est incarnata, multi impediti fuerunt a vera Dei cognitione, ea, quæ dicuntur de Filio secundum humanam naturam, referentes ad ipsam Filij personam sicut Arius, qui posuit inaequalitatem personarum propter hoc, quòd dicitur Ioan. 14. Pater maior est. Qui quidem error non prouenisset, si persona Patris incarnata fuisset: nullus enim assumisset Patrem Filio minorem. Magis ergo videtur fuisse conueniens, quod persona Patris incarnaretur, quam persona Filij.

2. Præterea, incarnationis effectus videtur esse recreatio quædam humanæ naturæ: secundum illud. Galat. vi. In Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, nec preputium, sed noua creatura: sed potentia creandi appropriatur Patri. Ergo magis decuisset Patrem incarnari, quam Filium.

3. Præterea incarnatio ordinatur ad remissionem peccatorum: secundum illud Matthæi primo. Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum. Remissio autem peccatorum attribuitur Spiritui sancto, secundum illud Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remisit peccata, remit. eis. Ergo magis congruebat personam Spiritus sancti incarnari, quam personam Filij.

Sed contra est, quòd Damascenus dicit in 3. lib. * In mysterio incarnationis manifestata est sapientia & virtus Dei: sapientia quidem, quia inuenit difficillimi solutionem rei quæ decentissimam: virtus autem, quia victum fecit rursus victorem: Sed virtus & sapientia appropriantur Filio: secundum illud 1. Cor. 1. Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Ergo conueniens fuit personam Filij incarnari.

Respondet dicendum, quòd conuenientissimum fuit personam Filij incarnari: Primo quidem ex parte vnionis. Conuenienter enim ea, quæ sunt similia, vniantur: Ipsi autem persona Filij, qui est Verbum Dei attenditur vno quidem modo communis conuenientia ad totam creaturam, quia verbum artificis, id est, conceptus eius, est similitudo exemplaris eorum, quæ ab artifice sunt. Vnde Verbum Dei, quòd est æternus conceptus eius, & similitudo exemplaris totius creaturæ. Et idè sicut per participationem huius similitudinis creaturæ sunt in proprijs speciebus instituta, sed mobilitate: ita per vnionem Verbi ad creaturam, non participatam, sed personalem, conueniens fuit reparari creaturam in ordine ad æternam & immobilem perfectionem. Nam & artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipsum, si collapsum fuerit, restaurat. Alio modo habet conuenientiam specialiter cum humana natura, ex eo quòd Verbum est conceptus æterna sapientia, à qua omnis sapientia hominum deriuatur. Et idè per hoc homo in sapientia perscitur, quæ est propria eius perfectio, prout est rationalis, quòd participat Verbum Dei: sicut discipulus instruitur per hoc quòd recipit verbum magistri: vnde Eccle. 1. dicitur, Fons sapientie verbum Dei in excelsis. Et idè ad consummatam hominis perfectionem conueniens fuit, vt ipsum Verbum Dei humane nature personaliter vniretur.